



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod homo per se nihil potest sine divina gratia, 15

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

Quod homo per se nihil potest sine divina gratia.

1. **F**ortissime, magnipotens Deus spirituum universæ carnis, cujus oculi sunt super omnes vias filiorum Adam, à die natiuitatis eorum usque in diem exitus eorum, ut reddas unicuique secundum opera sua, bona vel mala; ostende mihi, ut confitear tibi paupertatem meam; quoniam dixi, quod dives essem, & nullius egerem: & nesciebam quoniam pauper eram, cæcus, nudus, miser, & miserabilis. Credebam enim me fore aliquid, cum nihil essem. Dixi, sapiens efficiar, & stultus factus sum. Cogitabam me esse prudentem, & deceptus sum: & video nunc, quia donum tuum est, sine quo nihil possumus facere: quia nisi tu, Domine custodieris civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Sic docuisti me, ut cognoscerem me: quia dereliquisti me, & probasti me, non propter te, quod cognosceres me; sed propter me, ut cognoscerem me. Nam, ut dixi, Domine, credebam me aliquid fore ex me, existimabam me sufficere per me: nec percipiebam, quoniam tu regebas me: donec aliquantulum te elongasti à me, & cecidi statim in me: vidi & cognovi, quoniam tu regebas me: & quod cecidit, fuit ex me: & quod surrexi, ex te.

2. Aperuisti mihi oculos, lux, & excitasti & illuminasti me: vidi, quoniam tentatio est

est vita hominis super terram : & quod gloriari non valeat ante te omnis caro , nec justificabitur omnis vivens : quoniam si quid boni est , parvi vel magni , donum tuum est , & nostrum non nisi malum est. Vnde igitur gloriabitur omnis caro ? nunquid de malo ? Hæc non est gloria , sed miseria. Sed nunquid gloriabitur de bono ? nunquid de alieno ? Tuum , Domine , est bonum , tua est gloria. Qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit , & non tibi quærit , hic fur est & latro : & similis est diabolo , qui voluit furari gloriam tuam. Qui enim laudari vult de tuo dono , & non quærit in illo gloriam tuam , sed suam ; hic , licet propter tuum donum laudetur ab hominibus , à te tamen vituperatur : quia de dono tuo , non tuam sed suam gloriam quæsit. Qui autem ab hominibus laudatur , vituperante te , non defendetur ab hominibus , judicante te , nec liberabitur condemnante te.

3. At tu , Domine , formator meus ab utero matris meæ ; non me finas cadere in illam exprobrationem , ut exprobretur mihi furari voluisse gloriam tuam : tibi enim sit gloria , cuius est omne bonum : nobis autem confusio faciei & miseria , quorum est omne malum , nisi tu volueris misereri. Misereris quippe , Domine , misereris omnium , & nihil odisti eorum , quæ fecisti : & das nobis de bonis tuis , & ditas nos , Domine Deus , inopes optimis donis tuis. Quoniam diligis pauperes , & divites facis eos divitiis tuis. Ecce nunc , Domine , pauperes nos filii tui sumus,

fumus, & pusillus grex tuus: aperi nobis januas tuas, & edent pauperes & saturabuntur: & laudabunt te, qui requirunt te. Scio enim, Domine, & confiteor docente te; quoniam illi soli, qui cognoscunt se pauperes, & confitentur tibi paupertatem suam, ditabuntur à te; quoniam qui se divites existimant, cum sint pauperes, à tuis divitiis invenientur exclusi.

4. Ego igitur confiteor tibi, Domine Deus meus, paupertatem meam, ut sit tibi tua gloria tota, quoniam tuum est omne bonum per me gestum. Domine confiteor ut docuisti me, nihil aliud sum quam universa vanitas, & tumba mortis & abyssus quadam tenebrosa, & terra inanis & vacua, quæ sine tua benedictione non germinat; fructum quoque non facit, nisi confusionem, peccatum & mortem. Si quid boni unquam habui, à te recepi: quicquid boni habeo, tuum est, vel à te habeo. Si quando steti, per te steti; sed quando cecidi, per me cecidi; & semper in luto jacuisssem, nisi tu me erexisses; semper cæcus fuisssem, nisi tu me illuminasses. Quando cecidi, nunquam surrexisssem, nisi tu mihi manum porrexisses: postquam me etiam erexisti, semper cecidisssem, nisi tu me sustinuissesses. Sapius perisssem, nisi me gubernasses.

5. Sic semper, Domine, sic semper gratia tua & misericordia tua prævenit me; liberans me ab omnibus malis, salvans à præteritis, suscitans à præsentibus, muniens à futuris; præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones & causas:

causas: quia nisi tu hoc mihi fecisses, ego omnia peccata mundi fecissem. Quoniam scio, Domine, quod nullum peccatum est, quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si creator desit à quo factus est homo. Sed quod non facerem, tu fecisti; quod abstinerem, tu iussisti, & quod tibi crederem, gratiam tu infudisti. Tu namque, Domine, regebas me tibi, servabas me tibi: & mihi, ut adulterium & omne aliud peccatum non committerem, gratiam & lumen donasti.

C A P V T X V I.

De Diabolo, & multiplicibus tentationibus ejus.

1. **T**entator defuit, & ut deesset, tu fecisti: locus & tempus defuit, & ut hæc deessent, tu fecisti. Affuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus: sed ut non consentirem, tu me tenuisti. Venit tentator tenebrosus, ut est: & ut eum despicerem, tu me confortasti. Venit tentator armatus & fortis: & ut me non vinceret, tu eum refrinasti, & me roborasti. Venit tentator transfiguratus in Angelum lucis, & ut me non deciperet, tu eum increpasti: & ut eum cognoscerem, tu me illuminasti. Ipse enim est draco ille magnus & rufus, & serpens antiquus, vocatus Diabolus & Satanus, habens capita septem, & cornua decem: quem creasti ad illudendum huic mari magno & spatio, in quo reptant animalia, quorum non est numerus: & animalia pusilla & magna,

K

id